

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2575

**Auteur(s) :** Guillaume du Perche, Châlons-en-Champagne (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Guillaume de Théval, fils de Julien [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1223

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Guillaume, évêque de Châlons, comte du Perche, réglant la part qui doit revenir à Guillaume de Théval, fils de Julien, jadis époux en secondes noces d'Agnès La Brète, à laquelle le comte Guillaume avait donné des prés, sis à Saint-Martin-du-Vieux-Bellême.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 69, p. 85-87.

## Dissertation critique

Barret propose la datation de 1222.

Guillaume du Perche, évêque de Châlons-en-Champagne (1215-1226) et comte du Perche (1217-1226).

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis Willelmus, Dei gratia Cathalaunensis episcopus et comes Pertici salutem. Universitati vestre notum facimus quod cum nos donavissemus dilecte nostre Agneti La Brete, de Belismo, et Raginaldo et W[ilelmo] filiis ejus et eorum heredibus, pro suo servicio, omnia prata nostra, que habebamus inter Sanctum Martinum de Veteri Belismo et villam nostram de Belismo, jure hereditario perpetuo possidenda, nobis et nostris successoribus vel balivo terre nostre, si in terra nostra non fuerimus, quedam calcaria deaurata in Pascha, pro omnibus serviciis et exactionibus et relevationibus et omnibus aliis rebus, annuatim exinde persolvendo, vivente tunc temporis Juliano de Tesval marito dicte Agnetis ; et post obitum ejusdem Juliani contencio verteretur inter dictam Agnetem et Raginaldum et Wilelmum filios ejus ex una parte, et Wilelmum filium predicti Juliani ex altera, super predictis pratis, dicta Agnete et dictis filiis ejus asserentibus dictum Wilelmum de Tesval nichil debere habere in dictis pratis ; tandem post multas altercationes amicabilem compositionem intervenit in hunc modum quod dictus W[ilelmus] de Tesval et heredes sui habebunt partem suam in dictis pratis sicut et in aliis acquisitionibus quas fecerunt dictus Julianus de Tesval et dicta Agnes relicta dicti Juliani, videlicet tertiam partem omnium predictorum pratorum et terciam partem tercię partis pratorum eorumdem jure hereditario perpetuo possidenda. Et dicta Agnes et filii sui predicti et eorum heredes residuum jure hereditario perpetuo possidebunt, nobis et nostris successoribus vel balivo terre nostre, si in terra nostra non fuerimus, dicta calcaria ad dictum terminum pro omnibus serviciis et exactionibus et omnibus rebus aliis annuatim persolvendo. Ita quod dictus W[ilelmus] de Tesval et heredes sui secundum quod percipient in dictis pratis de dictis calcaribus persolvent ; et dicta Agnes et filii sui dicti et eorum heredes residuum persolvere tenebuntur. Et nos dictam compositionem volumus, approbamus et ad instanciam

utriusque partis presenti carta nostra confirmavimus et dicto Wilelmo de Tesval et ejus heredibus concessimus dictam partem pratorum predictorum sub forma notata jure hereditario perpetuo possidendam ; et ne predicti vel eorum heredes a nobis vel a nostris successoribus vel ab aliis molestari possint in futurum ipsis tradidimus presentem paginam predictorum testimonialem sigilli nostri munimine roboratam. Actum anno ab incarnatione Dni M° CC° XX° tercio.